

† R. P. Theodorus Droege (1879-1941)

(Prov. Germ. Inf.)

Dominica in Albis 24-IV-1892 in pervetusta ecclesia paroeciali S. Hippolyti in Helden, Westfaliae australis pago, archidioecesis Paderbornensis, olim ab Archiepiscopo Coloniensi S. Annone (†1075) consecrata, primam suam communionem pie receperunt tres pueri, quos SS. Redemptor postea omnes ad suam Congregationem vocare dignatus est: Theodorus Droege et Gulielmus Platte et Clemens Henze. Quae triplex vocatio nata est e pulcherrima missione, quam mense Iulio eiusdem anni PP. Augustinus Eickenscheidt, Antonius Schaeper, Franciscus Deubel, Thomas Prange e communitate Glanerbrugensi ibi praedicarunt, primam post intervallum medii fere saeculi. Vestiti erant missionarii more presbyterorum saecularium, quia etiamtum Redemptoristae habebantur in Germania Iesuitis « affiliati », qui error tamen post biennium publice emendatus est.

Nacti hanc opportunitatem, libenter inserimus huic necrologio sequens factum concretum. Cum in sollemni functione expiatoria coram Sanctissimo exposito (*Abbitte*) concionator P. Schaeper in fine primum sacerdotes, tum innocentes parvulos, dein pueros puellasque primae communionis, denique adultos ad invocandam Iesu Christi misericordiam exhortatus esset, repetendo apposita concionatoris verba, templum singultibus ac fletibus numerosissimi auditorii totum replebatur. Qui haec scribit et tunc aderat, subsequentibus 60 annis numquam aliquid simile expertus est.

Superior missionis P. Eickenscheidt, visitans aegrotos paroeciae domi decumbentes, comitem habuit Theodorum nostrum 13 annorum eumque, iam ad

sacerdotium adspirantem, facili negotio nostrae familiae lucratus est. Theodoro, nato 22-IV-1879, Deus dedit parentes religiosissimos. Pater, faber ferrarius, ex Maumke in Helden venerat, matrimonium ibi iniens cum Gulielma Schnüttgen, propinqua cl. Alexandri Schnütgen, a quo Coloniae quoddam museum antiqui-



Moralistae Geistingenses a. 1905, inter quos etiam Theod. Droege.

Sedentes, a sinistra ad dexteram: P. Gul. Neuhöfer, † 5.7.1951 in Heiligenstadt. P. Cl. Henze. Fr. Nic. Woll, exiit, † qua parochus. P. Petr. Plum, † 9.6.1938 Aquisgrani (*Anal.* XVII, 178). Stantes in primo ordine: P. Hub. Pickartz, † 29.11.1940 in Vaals. Fr. Ios. Krause, † 6.1.1922 in Bochum. P. Christ. Dolfen, exiit, nunc Monsignore Osna-brugi. Fr. Th. Droege. In secundo ordine: Fr. Henr. Nelissen, † 16.3.1925 in Geistingen, propter epilepsiam sine sacerdotio. P. Hub. Nückel. P. Ios. Sandbothe, † 19.4.1936 Bonis Auris (*Anai.* XV, 133). P. Bern. Arens.

tatum denominatur. Pater mortuus est dimidio anno ante ordinationem sacerdotalem filii, qui iam septennis amiserat amatam genetricem. Tres Theodori sorores, haud secus ac ipse, elegerunt statum religiosum. Quarta, Anna nomine, ab anno duodecimo ad a. quadragesimum quartum aetatis, i.e. usque ad mortem lecto affixa, admirabilis patientiae et pietatis exempla reliquit. Vivebat quoque in familia avuncula admodum pia, alta c. 1,50 m. Theodori nepos Petrus adhuc Deo servit ut sacerdos saecularis cum titulo honorifico *Studienrat*.

Defunctus confrater in suis 62 vitae annis haud paucas invenit difficultates. Ingressus in nostrum iuvenatum Vaals post Pascha a. 1893, initio quidem admis-

sus est ad secundam classem; receperat quippe iam varias latini sermonis lectiones a suo ludimagistro; sed post aliquot hebdomades P. Director Matthias Arenth (1) satius duxit eum tironibus praeparatoriae classis aggregare.

In iuvenatu Theodorus saltem bis graviter aegrotavit, cuius morbi natura adeo P. Directorem Petrum Ballmann, Patris Arenth successorem (2), commovit, ut ipse, ubi a. 1898 ad totius Provinciae regimen assumptus est, alumnum Droege dimittere constitueret. Huic tamen dimissioni fortiter restitit novus Director P. Iosephus Pickartz (3) cum aliis Patribus, et cum interim medici meliores dedissent attestationses, Th. Droege a. 1899 admissus est ad novitiatum, tunc Epternaci (*Echternach*) sub P. Christiano Schlemann (4) constitutum, et festo Exaltationis S. Crucis 1900 ad professionem perpetuam. Subsequens eius vita mansit signata crucis signo, subiecta innumeris infirmitatibus et haud paucis operationibus chirurgicis.

Prius triennium sui studentatus transegit Augustae Trevirorum, alterum in nova studiorum sede Geistingen ad Sigam, cui communitati — casus sane inter nostrates rarissimus — adscriptus mansit usque ad mortem, per 38 annos. Finitis quidem studiis missus est a Superioribus Glanerbrugum ad vires physicas reficiendas, iam destinatus alicui cathedrae iuvenatus; cum vero a. 1907 Lector philosophiae P. Franciscus Schneider renuntiatus esset Magister novitiatum (5), P. Droege electus est eius successor in Geistingen, et qua primus « Lector philosophiae specializatus » intravit in suae Provinciae historiam. Etenim ex eo tempore mira tenacitate et constantia huic disciplinae se totum dedicavit, et licet etiam boni missionalis dotes possideret, tamen 35 annis sacerdotii nec multos in sacro suggestu sermones habuit nec multas confessiones excepit, satius existimans futuros apostolos (ultra 200 Patres duarum Provinciarum Germaniae Inferioris et Bonaënsis eius discipuli fuere!) in « philosophiae perennis » secreta introducere.

Illa peculiaris praeparatio, quae nunc nostris Lectoribus passim conceditur, tunc temporis apud nos quasi ignota erat. P. Droege est primus in sua Provincia, qui tempore primi magni belli, cum perpauca haberet alumnos, primum in collegio Valkenburg S. I. duce cl. P. Fröbes novae disciplinae psychologiae experimentalis vacavit et deinceps in Facultate philosophica Universitatis Bonensis, licet iam aetate provector, per tres annos mira sedulitate praelectiones professorum frequentavit. P. Provincialis Schneider quidem approbare noluit eius consilium acquirendi sibi etiam lauream, ratus filium S. Alfonsi doctum esse debere, at non Doctorem (*Die Redemptoristen sollen tüchtig studieren, aber nicht doktorieren!*); sed P. Ioannes Kronenburg (Prov. Holl.) in sua visitatione extra ordinem Martio 1918 Patri Droege dixit se non solum permittere, verum

(1) De eo vide *Analecta* 1950, p. 103-106.

(2) L.c. 1938, p. 45-49.

(3) L.c. 1936, p. 238-242.

(4) L.c. 1928, p. 183-187.

(5) L.c. 1951, p. 109.

desiderare, ut Doctoris titulum consequeretur. Id dilectus confrater *summa cum laude* perfecit 19-XII-1919, omnium primus in hodie iam sat longa serie Doctorum Provinciae. Et velimus notes bene neque eum neque alium ex his graduatis hucusque suae vocationis iacturam fecisse. *Meminisse iuvabit!*

Creator Theodoro Droege dederat ingenium bonum, memoriam optimam, voluntatis vim ferream, facundiam phaenomenalem; at novellus Dr. phil. non evasit eo ipso quidam «genius» e penu suae mentis semper nova promens; remansit potius, quod erat, scil. compilator admodum sedulus, qui aliorum cogitata fideliter reproduceret. Ipsum thema eius theseos non fuit speculativum, sed positivum: *Die Erkenntnistheorie der Löwener Schule* i.e.: Quomodo Schola Lovaniensis humanam cognitionem explicet (1). Praeterea philosophia illa quam in Universitate Bonnensi audierat non erat eadem quam brevi post P. Arthurus Elfes († 27-II-1933) simul cum theologia D. Thomae Romae penes Fratres Praedicatorum hausit, unde postea in gremio studentatus nata est molesta quaedam dissensio, una ex tot difficultatibus, quas P. Droege in sua peregrinatione terrestri sibi obviam habuit. Ceterum volebat esse et revera erat thomista, ut eius monographia de analytico characterе principii causalitatis (Bonn, Hofbauer-Verlag, 1930, p. 100) demonstrat, et ut talis apud externos fortasse vel maioris auctoritatis erat quam domi.

Eius opus praecipuum est novum manuale, inscriptum *Elementa philosophiae christianae ad usum scholarum accommodata* (2 vol. in-8°, p. 339, 343), annis 1922-25 in parva nostra typographia impressum, verum solum «pro manuscripto» in commodum audientium. Bibliographia Patris De Meulemeester enumerat quoque alias eiusdem publicationes t. II, 131 et III, 295, quamquam haec enumeratio non est completa; sic deest ille longior articulus, non philosophicus sed theologicus, quo P. Droege novam editionem operis marialis S.P.N. Alfonsi, a P. Litz una cum apparatu critico evulgatam, in *Theologische Revue* (Münster i.W.) enixe commendat et S. Doctoris doctrinam contra Fridericum Heiler defendit.

Revera P. Droege amabat multum suum Patrem legiferum eiusque Institutum. Pietas eius fervida habebat characterem vere Alfonsianum. Vitam suam Regulae et Constitutionibus conformare sincere studebat suamque dilectam Congregationem exteris quoque gratam acceptamque reddere verbo et opere. Congregatio autem erga eum se monstravit bonam matrem, v.g. eius studiis magna liberalitate fovendis et singulis annis ei concedens usum aquarum salutiferarum, modo Aquisgrani, modo in Wildungen, modo in Nauheim, modo in Mergentheim.

Hoc ultimo loco a. 1936, ipso die anniversario sui primi Sacri 16 Augusti, primo ictu cardiaco tactus est; laborabat enim iamdiu forti arteriosclerosi et pressione sanguinis altissima (c. 240). Ex eo tempore secutae sunt aliae «pulsationes Domini», ut S. Gregorius morbos mortis praecursores explicat. Cum

(1) Manuscriptum comprehendebat 262 paginas grandes, verum extractum typis impressum tantum 32.

vero P. Provincialis Eugenius von Meurers (I) a. 1938 unam solam in hebdomade praelectionem, praeter exercitia seminaristica, ei destinasset, id veterano professori prorsus non iucundum erat. Sic sunt senes! Quam recte soror eius Iohanna tunc ei scripsit: « Stupescimus, quod tam parum tua sorte contentus es; etenim iamdiu talem mutationem desiderabamus et exspectabamus! ».

Vel gravior crux dilectum confratrem manebat, nempe vera dementia, ita ut a. 1940 Novesium (*Neuss*) in dementium asylum Fratrum a S. Alexio deferendus esset. Ibi 6-III-1941 in praesentia confratris et sororis Iohannae, munitus omnibus nostrae sanctae religionis auxiliis, animam suam, multis crucibus veris et imaginariis purificatam. Creatori reddidit, praecise quadriennio ante obitum tragicum P. Provincialis von Meurers. Sepultus est in caemeterio nostro Geistingensi, quarto mense ante communitatis violentam expulsionem. Sed nazismi Imperium Millenarium concidit, et iam diu Patris Droege aliorumque confratrum ibi conquiescentium sepulcra irrorantur cotidianis vivorum suffragiis.

Memoriam carissimi atque optime de Instituto meriti confratris non modo hae paucae paginae servant, sed etiam magna biographia manuscripta fere 200 paginarum, a collega P. Alberto Fries accuratissime exarata (interdum etiam pipere condita), quamvis publicationi minime destinata. In ea saepe de « angoris complexu » (*Angstkomplex*) defuncti confratris sermo est. Revera bonus P. Droege in vita infinitis timoribus angebatur; nunc vero, ut iure speramus, omni trepidatione liberatus in summi Boni summaeque Veritatis fruitione sempiterna quiescit. *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur* (Rom. 8, 17).

---